



Universitätsbibliothek Paderborn

Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In
sex partes tributæ

Qvae Meditationes Complectitvr circa omnia Christi Domini Acta, ab eius
Baptismo ad finem vsque Prædicationis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

Puente, Luis de la

Coloniae, 1612

15. De Apostolorum ad prædicandum Missione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

cūque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos: & scimus quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo: ipse enim docuit nos, quæ ex ipsius voluntate petere debeamus. Doctrina, quam in hoc sermone Christus docuit, de providentia, quam ad subueniendum nostris necessitatibus, nostrasque orationes exaudiendas habet, secundam habet utilissimarum meditationum materiam, quas in sextam partem reservamus.

MEDITATIO XV.
DE APOSTOLORVM AC
 discipulorum ad prædicandum missione.

PUNCTVM I.



CONSIDERA primum: Christum, cum suos discipulos ad prædicandum mitteret per terram Israel, dixisse illis: *a Messis quidem multa operarij autem pauci: Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam, qui eam colligant.* Qua sententia infinitam suam charitatem, misericordiam & desiderium, quo tenetur, nostræ salutis manifestat.

PRIMUM itaque ait: **MESSIS MVLTA**, quia multi sunt, quos ad cœleste regnū destinatos habet;

L

a Mat. 9. 27
 a Luc. 10. 2.

habet, multiq̄ue, qui prædicatorum & myſteriorum euangelicorum auxilium expectant, quo ſe diuino obſequio tradant omninò. Et hoc eſt quod Chriſtum ad commiſerationem excitat, vt eos cupiat adiutos.

II.

DEINDE ait: OPERARII PAUCI: quia pluriſimi hominum ſectantur otium, horrentes laborem: quod ſi aliquandò laborant, id proprij commodi potius quam aliorum gratia faciunt. Pauci ſeſe, vt operarij ſint, diſponunt; multi ei, qui mittere eos velit, reſiſtunt. Et hoc ipſum eius viſcera magis mouet ad compaſſionem, & porrò ad deſiderium, vt tot mittantur, quot meſſis eius neceſſitas & multitudo requirit.

III.

DICIT tertio: ad ipſum Dominum meſſis, qui eſt Chriſtus, ſpectare, vt operarios deſignet, mittatq̄ue: quia nemini licet in alienam meſſem abſque Domini facultate intrare. qui enim à Deo non vocatus in huiusmodi ſe opus immiſcet, oſtendit ſe non Domini obſequio palatove ſtudere; aut meſſis ipſius ſed proprium commodum, honorem, & vtilitatem quærere. Fruſtra autem laborabit qui talis eſt, niſi enim in nomine & virtute teſu Chriſti, nec piſcari, nec meti poteſt animarum meſſis & captura.

IV.

QUARTO ait: Rogandum eſſe Dominum meſſis, vt mittat operarios, qui eam colligant: vt oſtendat ſe eius non oblitum eſſe, ſed optare potius vt colligatur: velle ſe tamen rogari: eo quod oratio medium ſit aptiſſimū

ad exe.

ad exequendas diuinas dispositiones & præ-
 destinationes; & vt simul operis huius præstā-
 tiam, & valorem intelligamus, in quo tamen
 non de ipsius Domini, sed messis & operario-
 rum agitur lucro & vtilitate: Ex hoc enim tū
 hominum salus, quæ messis instar demeti, vt
 in horrea cœlestia perueniant, debet; tum o-
 perariorum merces, quibus ipsam Deus mes-
 sem committit, dependet: hanc enim ob cau-
 sam Apost. ait: *b Va mihi est, si non euangeliza-* *b1. Cor. 9. 16*
uerō: necessitas enim mihi incumbit.

V.

DENIQUE tanta est Christi Domini chari-
 tas, vt statim atque suum hoc messis colli-
 gendæ desiderium expressit, non expectans, vt
 Apostoli ac discipuli id peterent, statuerit eos
 mittere, vt ostendat, etsi nos in hac gratia pe-
 tenda incurij simus, charitatem suam infini-
 tam non obliuioni tradituram messem; sed
 bonitate & misericordia sua sola *c operarios* *c Iacob. 3. 4*
electurum & missurum, qui regiones metant,
 sicut re ipsa per vniuersam Ecclesiam & gen-
 tilitatē quotidie eum facere videmus. O Sal-
 uator dulcissime, quantas possum maximas
 pro solitudine hac erga messem tuam, in o-
 perariorum, qui eam colligant missione, ago.
 & quandoquidem, vt id facias, rogari cupis,
 millies humiliter supplico, vt multos fide-
 les, magni exempli, *d probabiles & inconfusi* *d 2. Ti. 2. 15.*
biles operarios mittere non desinas: ad quos, si
 ego aliquid valeo; *e Ecce ego, mitto me.* Si enim *e Isai. 6. 9.*
 tu me vocas mittisque, æquum est vt paream,
 conando exequi quod iubes. Hos & similes

III. part Medit.

O

alios

alios affectus ac proposita ex quinque his considerationibus elicere oportet: messisque ipsius necessitatibus, & operariorum penuriam condolere.

PUNCTVM II.

CONSIDERANDVM Christum reipsum statim a Apostolos ac discipulos suos in terram Israel binos & binos ad predicandum misisse, ac dixisse; *b* Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, & demones eijcite; gratis accepistis, gratis date.

I

PERPENDAM primùm causas, ob quas voluerit Christus, discipulos suos binos ire, & non vnum solùm: vt videlicet alter alterum iuuaret, consolaretur, & custodiret: & ea ratione mutuae perfectae charitatis legem implerent, exemploque suo alios ad eandem caritatem colendam excitarent: & vt eiusdem veritatis, quam praedicarent, duo essent testes contestes. Ac demum vt eorum posterum exemplum hoc sequeremur, studentes, huiusmodi ministeria bene comitati obire: *c* Frater enim (vt Sapiens ait) qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma: & idem Sapiens: *d* Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. *Va soli*: quia cum ceciderit, non habet subleuantem se. & ipsemet Christus Dominus: *e* Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum: O felix contubernium, cui tertium se Christus adiungit, eius curam habiturus.

a Mar. 6.7.*b* Mat. 10.8*c* Pro. 18.19.*d* Eccl. 4.10*e* Mat. 18.

20.

DEIN

DEINDE Christi liberalitatem, omnipotē-
 tiamque perpendam, quam ostendit in tam
 ingenua, & absque omni invidiæ inditio, com-
 municatione potestatis patranda miracula,
 discipulis suis facta; addens etiam, ipsos po-
 stea etiam maiora, quam ipsemet fecisset, e-
 dituros; ut auctoritatem maiorem ipsis &
 doctrinæ ipsorum conciliaret. cum enim ho-
 mines essent aliàs abiecti, nisi tali fuissent
 potestate ornati, facilè fuissent ab omni-
 bus contempti. Nominatim verò duo illa me-
 moranda verba GRATIS ACCEPISTIS,
 GRATIS DATE sunt expendenda. *Primo*
 enim ipsosmet discipulos erudit in humili-
 tatem, ut sciant neque hanc neque alias po-
 testates sibi ob ipsorum merita, aut aliæ iu-
 stitiæ titulo debitas esse; sed gratis omnino
 concessas; ne quis in seipso sed *in Domino*
 à quo eas accepit, *glorietur*. Ideoque *greuer-*
entibus cum gaudio discipulis, ac iactabundis,
 quod etiam *dæmonia ipsis subijcerentur in no-*
mine eius, ut eorum superbiam reprimere r,
 respondit: *Videbam Satanam sicut fulgur de*
cælo cadentem, quasi diceret exemplum hoc
 in dæmonibus vobis obedientibus aspicien-
 tes, discite non vobis tribuere, quod reip-
 sa non vestrum sed Dei est: propterea enim il-
 li è cælo sunt præcipitati, quod, quæ Dei e-
 rant sibi usurparent.

f. 1. Cor. 1. 31.
g Luc. 10. 17

Secundo verbo liberalitatem erga pro-
 ximos, commendat, quam ipse discipulis
 exhibebat, ut sicut ipsi eam potestatem

gratis acceperunt, gratis quoque eadem erga proximos, non lucri temporalis aut pretij alicuius intuitu vtantur: nam quo minorem ipsi ab hominibus recompensationem quaesiverint, eo ampliore à Deo mercedem recipient: qui suam propriam reputans iniuriam, per Prophetam conqueritur: *h Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito: & qui gloriam meam præcipue, non proprium querat commodum.* O dulcis IESU, siquidem quæcunque habeo, à te accepi: omnibus illis, quia reuera sunt tua, seruire tibi cupio. solius tui amoris ergo, sensuum meorum portas occludam; & in cordis mei altari ignem affectuum incendam, offeramque bonorum operum sacrificia. Quod si in proximorum vtilitatem aliquid mihi donaueris, illud etiam in eos distribuam; nullo alio præmio aut mercede propter te quaesita, cui sit semper gloria de omnibus, quæ à te procedunt. Amen.

PUNCTVM III.

CONSIDERANDA sunt illa virtutum ornamenta, quæ discipulis prædicationem aggressuris Christus commendat: *Ecce, inquit, ego mitto vos sicut oues & agnos in medio luporum: Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae.* Quibus verbis lex eis virtutes commendat. Ouiù mansuetudinem, nemini, etiam à quo ipsi la-

deren-

derentur, nocentes; *Patientiam* in tolerando quodcunque ipsis inferatur incommodum; *Charitatem*, seiplos & quæcunque habuerint, in aliorum vtilitatem tradentes, etiamsi illi sint inimici: sicut oves lac suum, lanam, & carnem in hominum vsum conferunt: simul tamen magnam in pastoris, à quo mittuntur, providentia fiduciam collocare necesse est: sicut Ovis totam sui custodiam in pastore positam habet, vt quæ arma nulla propria, quibus se defendere possit, habeat, & hoc verba illa indicant: *Ecce ego mitto vos tanquam oves in medio luporum*: atque si distinctius loqueretur: non dubitatis, quin lupos sitis & vestræ doctrinæ ac vitæ persecutores habituri: vos verò inter eos non vt lupi aduersus lupos, aut canes aduersus leones, vt eos mordeatis, aut laceretis, versemini; sed vt oves & agni, mansuetudinis, patientiæ, charitatis, fiduciæque armis pugnando, semper memores, quod ego sim qui misi, ego vester pastor, magister & Deus vester, qui curam vestri geram, & in periculis defendam. O supreme Pastor: siquidem tu es qui me mittis, mitte quò vis, tua enim protectione vbique securus ero. corrobora debilitatem meam virtute tua, vt etiam lupos ipsos expugnare, & in mansuetas gregis tui oves conuertere possim: vt quod per tuum Prophetam futurum prædixisti, re ipsa impleatur: a *Habitabit a Isai. 11. 6.*
lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo, & ovis simul morabuntur,

II.

sub pastoris vnus humilis obedientiã.

COMMENDAT deinde, vt ea ratione sint mites, patientes, beneuoli, & confidentes; vt non sint tamen insipientes, imprudẽtes & temerarij, sed vt serpentum prudentiã semper adhibeant, quę prudentia in eo *primũ* est posita, vt munus suũ ita exequantur, vt licet corpus vulnera à lupis accipiat, nihil tamen anima patiat: sicut serpens, etiã si corpus vulneri exponat, caput abscondens contegit, *b obturatq; aures suas ne exaudiat vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter,* quę nocumentum ei posset adferre. Deinde eadem prudentia requirit, vt tempus expectetur, loc^o & opportunitas quæratur, ad predicandum, & ad doctrinam suam persuadendam: sicut etiam serpens, cum Enam decepit, obseruauit: par est enim tantam circumspectionem & prudentiam nos in bonum adhibere, quantum serpentes, qui sunt diaboli, hostes nostri adhibent in malum. Non vult autẽ Christus hanc prudentiam esse vulpinam, quę duplicitem fraudesve contineat, fallas leuens suspensiones & temeraria iudicia, sed vt sincera sit & verax cum vitę puritate, sine fellic malitia & amaritudine: ne ouium mansuetudini aduersetur. Ac propterea adiecit columbæ simplicitatem, vt puros oculos intentionis haberent, sponse illius instar, cui dicitur. *c Oculi tui columbarum,* quos in Dei gloriam & animarum fructum absque rerũ terrenarum admixtione conijciant. O innocen-

tissime

*b Psal. 57. 5.**c Cant. 1. 15.
& 4. 1.*

tissime agnus. *d* in quem descendit Spiritus S. corporali specie sicut columba, coniunge, quæso in anima mea prudentiam cum simplicitate: quo ita alijs prodesse studeam, vt ijsdem mihi non noceant.

d Luc. 22. 3
Ioan. 1. 32.

PUNCTVM IV.

CONSIDERANDVS modus in via seruandus, quem ita Christus præscripsit: *a* Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neq; calceamenta, neq; virgam: dignus est enim operarius cibo suo.

a Mat. 10. 9

b Neminem per viam salutaueritis: in quacumq; domū intraueritis, primū dicit: pax huic domui.

b Luc. 10. 5.

Perpendendus aut est Christi scopus in hac instructione: ad tria enim potissimum respexit.

PRIMUM, vt nequid nimis, aut superfluū in temporalibus commodis admitteret, sed necessarijs tantū contenti essent: quare nihil pretiosum auri argente: non superfluā pecuniā, ad sibi indulgendū, accipiat: & si tunica vna, & calceamenta illis sufficiant; ne duplicata, quæ mutare, & modò his, modò illis vti possint, accipiant: & si vel sandalia, vel quid aliud accommodatum pauperibus sufficere possint: ne integra portent calceamenta: & qui ad iter agendū baculo non indiget, & hunc abijciat: aut si ob debilitatem baculo, cui inuitantur, indigent; ne virgam accipiant, qua se defendant ad vindictam.

I.

SECUNDVM est, vt nimia alimenti, vestimēti, & comoditatum sollicitudinē etiā in neces-

II.

sarijs dimittentes, diuinæ prouidentiaē confidant, quæ modò ipsi tales sint, quales oportet & munus suum fideliter exequantur de omnibus sit prouisura, quia dignus est operarius, cui Dominus eius de victu prospiciat: & Deus certò prouidebit, hominibus inspirando, ut eum tribuant: quem & ipse operarius non ut laboris mercedem, sed tanquam sustentationem vitæ, ut laborare amplius possit, accipere poterit, & ita re ipsa Christus id impleuit exactè, sicut ipsi Apostoli falsi sunt, cum nocte

c *Luc. 22. 35* Passioni suæ Christus interrogauit: *c Quando misistis vos sine sacco & pera, & calceamentis, nūquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.*

d *Psal. 22. 4* Pastor prouidentissimè, d *Virga tua & baculus tuus gubernationis & sollicitudinis tuæ sufficiunt ad consolandum & sustentandum me: si enim te habeo, omnia habeo: & si tu mihi non defis, nihil deesse potest.*

III.

TERTIVM est, ne in profectioe ipsa colloquijs, familiari conuersatione, aut rebus alijs ad rem non facientibus, & ab scopo suo alienis distineantur. hoc enim dicere voluit, cum neminè in via salurandum præcepit: neque enim honestas decentesque salutationes prohibuit qui eos in hospitij ita humanos & placidos esse voluit, ut primò hospites suos salutarent, ac Euangelij pacem illis offerrent, eandemq; à Deo pro illis petentes, domos illorum ingrederentur. Nam pacè in anima non existente, minus disposita illa est, ad veram doctrinam recipiendam.

O Ma-

O Magister coelestis, cui adeo curæ est nos docere, imprime cordi meo doctrinam tuam, ut opere illam exequar, nulla re admiffa, quæ me ab ea retardet. Amen.

AD extremum animæ illos Christus ad muneris sui executionem; e *Si, inquit, ibi erit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos reuertetur.* Duo his verbis illos docens. *Primum*, fore, ut eorum prædicatio esset fructuosa in aliquibus, in iis videlicet, qui pacis filij essent, à Deo ad Euāgelij doctrinam absque resistantia recipiendam electi. *Secundum*: quòd, vbi apud alios fructum non adferret, eò quod eam repellerent, ad ipsos esset reuersura: quasi diceret, ne propterea vos pacem vestrā abiiciatis, aut cōmoueamini irā vindictæ; sed hāc Deo potius relinquitte, quia nō propterea vestro vos labore fraudabimini.

e Luc. 10. 6.

PUNCTVM V.

CONSIDERANDVM denique præscriptum ipsius prædicationis thema & argumentum, cum dixit: a *Dicite illis: ap- propinquauit in vos Regnum Dei, b & exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent.*

a Luc. 10. 7.

b Marc. 6. 12

PERPENDENDA hîc sunt tria, quæ themate hoc continentur. *Primum*, media salutis, ad ingressum in cœlum necessaria, qualis erat pœnitentia peccatorum, extirpatio vitiorum, studiosorum operum exercitia, terrenarum rerum contemptus: quæ perditionis animæ causa existunt. *Secundum*, scopus & horum operum incentiuum, quod erat Regnum cœ-

lorum: non itaque ad amplectendam doctrinam permouerentur præcipuè formidine pænæ, aut temporaliû commodorum intuitu, sed ob promissum regnû cœlorum. *Tertium*, quod hoc totum facillè esset ac peruiû, & iucundum; quia regnû ipsum cœlorû propè iam esset, author videlicet gratiæ, qui cœlorum esset portus referaturus, mediâq; iucunda & efficacia ad ingrediendum collaturus, sicut re ipsa iam ea offerre incipiebat. O Rex cœlestis, qui gloriosum adeo regnum in hunc mundum intrulisti, adiuua me, vt illud expugnare rapereque valeam: qui dixisti. *c A diebus Ioannis Baptista, qui illud prædicare cœperat, Regnum cœlorum vim pati, & violentos illud rapere. Da mihi, Domine, tantum roboris, quod adeo pretiosam Margaritam ego rapiam, quandoquidem tu, qui eius es Dominus, congaudes, quod omnes illam rapiant, ac ita ditescant.*

c Matt. 11.
12.

MEDITATIO XVI.
DE GLORIOSO B. IOANNIS
BAPTISTÆ Martyrio.

PUNCTVM I.

a Matt. 6.17
Matt. 14.4.



V M a duxisset Herodes uxorem
Philippi fratris sui, dicebat illi Io-
annes: Non licet tibi habere ux-
orem fratris tui.

I.

CONSIDERANDA hic primùm
est.